

ronae devota recitatione Indulgentiam centum dierum in perpetuum benigne concessit, revocatis omnibus et singulis aliis Indulgentiis, quae pro ejusdem coronae recitatione asserebantur concessae.

Declaravit insuper Sanctitas Sua, ut quis consequi possit praefatas Indulgentias, requiri, ut corona sit de more benedicta a Superioribus ordinis Annunciationis B. M. V. sub regula s. Francisci a Sede apostolica approbati vel a quolibet Confessario ordinario monialium ejusdem ordinis, et propterea eisdem Superioribus et Confessariis dictas coronas benedicendi facultatem tribuit et imperlitus est.

In distribuendis vero hujusmodi coronis eorumque usu Sanctissimus servari jussit Decretum fel. record. Alexandri PP. VII. editum sub die 6. Febr. 1657 nimirum, ne hujusmodi coronae utpote benedictae vendantur aut alteri commodentur aut precario dentur, alioquin careant Indulgentiis jam concessis, et, aliqua ex eis deperdita, alia subrogari nullo modo possit, nisi a quibus supra benedicta fuerit.

Datum Romae die 6. Martii 1706.

Loco † Sigilli.

Fr. J. Card. Portocarrero Praefectus.

Ae. E. Vicecomes

S. C. Indulg. Secretarius.

(Anal. J. P. 1857 p. 2326.)

ROTULUM.

(Partitio inter Cardinales.)

De rotuli partitione inter S. R. E. Cardinales in Urbe residentes tantummodo faciendae, deque non residentium accessu ad curiam atque recessu etc.

Benedictus PP. XIV. ad futuram rei memoriam.

In regimine universalis Ecclesiae, quod superna dispositione omnipotens

Deus Nobis, licet immeritis, commisit, illius rei cura animum nostrum assidue exercere solet, ut quid deceat et quod aptum sit personis, sedulo prospiciamus et in id vires nostras auctoritatemque conferamus, ut pro dignitate muneris officii et laboris suum unicuique jus constanter et perpetuo tribuatur.

§. 1. Quoniam autem ex ea tempore, quo Nos in minoribus constituti Romae versantes apostolicae huic sanctae Sedi nostram operam studiumque pro viribus nostris impendebamus, a praeclarissimis viris improbari saepius audivimus eam consuetudinem, ob quam nonnulli S. R. E. Cardinales longe ab alma Urbe nostra degentes, bis per annum ad illam ventitabant ibique ignoti plerumque et spatio paucorum dierum permanebant, ut cum reliquis S. R. E. praefatae Cardinalibus Romae commorantibus in partem „rotuli“, vulgo ut dicitur, admitterentur, nempe ut acciperent partem seu portionem illius pecuniae, quae veluti quoddam laborum stipendium distribui solet ejusdem S. R. E. Cardinalibus praedictis, qui non sine incommodo ad Consistoria, Congregationes et ad sacellum Pontificium, ubi sacra mysteria celebrantur, conveniunt.

§. 2. Haec praestantium virorum opinio menti nostrae adeo adhaesit, ut cooptati inter ejusmodi S. R. E. Cardinales a fel. rec. Benedicto PP. XIII. Praedecessore nostro et Ecclesiae Anconitanae regendae ipsius Benedicti Praedecessoris beneficio praepositi ac deinde a rec. mem. Clemente PP. XII. itidem Praedecessore nostro ad metropolitanam ecclesiam Bononiensem auctoritate apostolica translati, nunquam spatio duodecim annorum Romam venerimus, ut dicti rotuli fructum seu portionem perciperemus, nec sedes nostrae curae commissas unquam de-

seruimus, nisi causa comitorum, quae bis interea temporis indicta fuerunt eisdem Cardinalibus, ut novus Pontifex de more crearetur. Statim vero atque ad summum apostolatam licet immerentes evecti, normam aliquam super hac re praescribendam censuimus; sed tunc executioni minime demandandam esse existimavimus, eo quod perpauca Cardinales Roma absentes numerarentur, qui proficisci ad urbem commode possent, ut eandem Rotuli partionem seu partem deposcerent. Accedebat etiam, quod numerus eorumdem Cardinalium Romae degentium, pluribus vita functis, adeo imminutus fuerat, ut ipsi solum exiguo detrimento afficerentur, etiamsi absentes pro comparanda sibi rotuli partitione ad Urbem se conferrent. At tamen cum multi a Nobis sacro Collegio Cardinales adscripti fuerint et numerus absentium Cardinalium, qui bis per annum Romam venire fortasse deliberarent, ut rotuli partem assequerentur, excrevit, et cum plures, quam antea, Cardinales modo in Urbe praedicta commorentur, quibus procul dubio gravius damnum inferretur, si veteri instituto pars ejusdem rotuli Cardinalibus absentibus tribui deberet, qui statis anni temporibus ob hanc causam Romam accederent; ideo consilium a nobis jam antea initum, probantibus nonnullis ex dilectis filiis nostris ejusdem S. R. E. Cardinalibus, executioni tandem demandandum esse decrevimus.

§. 3. Ea propter motu proprio ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris deque apost. potestatis plenitudine, primum ea omnia, quae caventur et praescribuntur in Constitutionibus dicti sacri Collegii Cardinalium, et usque in hanc diem observari consueverunt quoad Cardinales de latere legatos, tenore praesentium confirmamus, ac insuper illos Cardi-

nales rotuli fructu omnino carere statuimus et decernimus (licet bis per annum Romam accesserint), qui longe ab Urbe praedicta detinentur, quamvis id facere necesse sit, ne sedes archiepiscopales aut episcopales deserant, quas administrandas acceperunt et quamvis etiam praefecturam aliquam sive quodcumque aliud munus a sede praefata sibi demandatum gerant, sine episcopali vel cum episcopali dignitate conjunctum, quod, si Roma absentes retinent, ejus certae naturae et conditionis esse existimatur, ut cum ipsorum absentia copulari et sine eorum praesentia, romani Pontificis vigilantia et auctoritate facile possit administrare. Cum vero Cardinales absentes pro suis negotiis expediendis aut legitimam ob causam ad Urbem se contulerint, veterem consuetudinem et institutum servari volumus, praecipimus et mandamus, nempe ut rotuli partem capiant, habita ratione temporis, quo Romae versantur; ea tamen lege obstricti, ut Nos seu romanos Pontifices pro tempore existentes adeant, nec ab Urbe discedant, antequam a Nobis seu romanis Pontificibus successoribus Nostris abeundi facultatem obtineant. Illos autem, qui sui muneris obliti (quod vix fore credimus) aliter se gesserint, non solum ab omni parte rotuli percipiendae penitus exclusos decernimus, sed praesentibus nostris literis (quatenus opus sit) obnoxios esse declaramus censuris ac poenis, quas pia mem. Joannes PP. XII. pariter praedecessor noster irrogavit in Extrav., quae incipit: „etsi deceat quoslibet subditorum curam etc.“, quam per praesentes pro plene et sufficienter expressam ac de verbo ad verbum insertam habentes, ad modernos et pro tempore existentes ejusdem S. R. E. Cardinales extendimus et ampliamus.

§. 4. Decernentes, easdem praesentes literas et in eis contenta quaecunque, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis quomodolibet jus vel interesse habentes seu habere praetendentes, iisdem praemissis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi fuerint, tametsi suorum indultorum vel privilegiorum vigore consentire seu vocari et audiri semel vel pluries quomodo debuissent aut ex alia quacunque quantumvis pia, juridica, privilegiata et rationabili ac etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, causa et occasione, colore seu praetextu, titulo etiam oneroso et capite etiam in corpore juris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam maximo, substantiali, essentiali et formali aut incogitato defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, rescindi, in controversiam vocari aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari aut impetrato seu etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concessio vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti, seu sejuvare nullatenus posse, sed ipsas praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter per quoscunque quavis auctoritate, praerogativa et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere ac irritum

et inane, si secus super his a quocunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Die 3. Febr. 1754.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 487.)

RUBRICA.

(Non mutanda.)

Cf.: *Ritus*; *Caeremoniae*; *Caeremoniar.* (vigilans etc.); *Consuetudo*; Instructio Clem. §. XXXVI. n. 18 etc., n. 21 etc.

Ad dubium: An Clerus Colleg. s. Mariae etc. Dioecesis Imolensis in publicis privatisque sacr. functionibus peragendis tam divini Officii quam missarum sol. et convent., et processionum, funeralium et aliorum huiusmodi actuum, teneantur ea, quae juxta rubricae dispositionem, ab (eodem) Canonico Praefecto praescribuntur, omnimode observare seu potius liceat unicuique multoties easdem s. functiones peragere praeter seu contra easdem rubricas?

S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam. n. 4038 ad 7 die 6. Aug. 1735.

Non sunt violandae rubricae imperitorum Laicorum causa. n. 4223 ad 7 die 29. Jan. 1752.

S. RUMOLDUS.

Vd.: *Patronus Dioec.* (oblig. Cleri saec., decr. de die 12. Sept. 1840).

S. RUPERTUS.

(Translatio cum octava.)

Salisburgen.

Festum s. Ruperti patroni Ecclesiae Salisburgensis, quod quia celebratur

27. Martii plerumque incidit in majorem hebdomadam vel octavam Paschatis, in diem 2. Maii transferri et celebrari posse cum sua octava, Illu-

strissimo Bellarmino referente, censuit S. R. Congregatio.

Die 19. Jan. 1619.

(Anal. J. P. 1863 p. 156.)

S.

SABBATUM.

1) Quadrages.

Modus recitandi Antiph. B. V. M.

Ad dubium: Utrum in Sabbatis Quadagesimae ad Antiphonam B. M. V. in Vesperis ante meridiem celebratis sit standum vel genuflectendum, et docet Manuale ecclesiasticum n. 167., edit. Rom. anno 1853.

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2195.)

2) Quatuor temp. Pentecosten.

In Sabbato 4 temporum Pentecosten in missis privatis non potest missa de eadem dominica Pentecosten repeli. n. 1554 ad 2 die 14. Apr. 1646.

Vd.: *Ordinat. in Sabb. 4 temp.*

3) Sanctum.

a) Assistentia Cleri.

Vd.: *Subdiac. in Sabb. s.*; *Bened. fontis* (Ministri).

Consuetudinem Capituli et Cleri Ecclesiae Collegiati Mercatelli, in Sabbato s. Benedictioni fontis et divinis Officiis necnon Missae assistere, esse laudabilem consuetudinem et in posterum ut hactenus servandam.

n. 1383 die 10. Maii 1642.

b) Benedictio Fontis,
Quae mutanda sunt juxta noviss. decreta?

Vd.: *Missale* (correctio, II. A. n. 4 et 5); *Bened. fontis*.

Ad dubium I.: Ex parte Sacerdotum Dioecesis Massae et Populoniae anno 1832 S. R. Congregatio consulta de consuetudine in Sabbato s. benedicendi aquam in aliquo vase separato, ex quo ante infusionem sacr. Oleorum aqua extrahitur et mittitur in fontem, die 7. Aprilis respondit: Ex speciali gratia servari posse consuetudinem. Quum autem haec consuetudo in hac Dioecesi vigeat, quaeritur similiter: utrum servari possit, ut fideles de more pio possint ex hoc vase separato haurire aquam et in domos suas asportare?

II.: In Dioecesi N. et in aliis multi Parochi ob distantiam locorum Olea sacra feria quinta in Coena Domini benedicta tempestive habere non possunt, ut ea in benedictione fontis baptismalis Sabbato s. facienda adhibeant, sed paucis post diebus accipiunt. Habetur quidem Decretum diei 23. Septbr. 1837; at forsan sanctio hujusce Decreti spectabat casum particularem, in quo versabantur Dioecesis Hispaniae, in quibus benedictio Oleorum facta non fuerat, et nesciebatur quonam tempore accipi possent nova olea sacra. Hinc quaeritur: An in praedicta nostra circumstantia bene-